



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

VII. Aliquot suggeruntur remedia iuuandæ pusillanimitati nonnullorum, qui quod sui ipsorum perditionem & damnationem timeant, & proximos iuuare refugiunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40105

Cur me in hac cruce reliquisti, tuamque iam quietem & consolationem sectaris? Quia voce admonitus, & visione Christi mire permotus, ad intermissam animarum culturam reuertit, in qua permultis deinceps annis nauum & infractum se operarium praestitit.

diet & proteget. *Domine ut scuto bona & lunas atque tua coronasti nos* Bona, inquam, voluntate Dei, qui ea nobis mandat, usque nos applicat, velut umbone & clypeo circumdamur ac protegemur.

Vnde praclare S. Basilius: *Nolito putare, inquit, ideo te castum. Et a carnalibus tentationibus immunem fore, quod te in solitudine recludas, et ab hominum consuetudine sequesres* Falleris: quia non est haec castitatis assequenda ratio. S. Hieronymus in solitudine interiori, procul ab hominibus agebat, olera & herbas comederat, & mira asperitate corpus suum atterebat; de se ipse tamen queribundus scribit, saepe se putasse Romanis choreis & plausibus interesse, cumque frequentibus ora pallerent ieiunium, cum corpus rigidum & exhaustum vix spiritum traheret, cum caro exsuccida & prope emortua esset, voluntas nihilominus a malis concupiscentiis incendebatur, & ad illicitos appetitus impotenter rapiebatur. E contra Abbas Helias tam rarum a Deo castitatis donum, uti refert Palladius, erat consecutus, ut quadraginta annos trecentis mortalibus tanta animi pace & quiete praefuerit, quanta, si viris, nimirum sine vlla ad libidinem tentatione, motu, & castitatis periculo.

Tam integris vestibus, & saraballis illaesis, tres illi pueri in fornace Babylonica ambulabant, ut nullum illis flamma nocuum inferret, & capillus capitis eorum non adureretur: regios vero ministros, qui ab fornace procul distiti erant, sibi que, ne ab igne violarentur cauebant, flamma non ustulauit modo; sed & deuorauit. Potens est enim Deus, in mediis flammis illaesos & intactos seruare illos, qui ex eius amore in eandem se dedere.

Quin potius flammam ipsis fuere velut flores vernantes, & paradisi deliciarum, in quibus Deum laudabant & benedicebant. Ita contingit iis, qui ex eiusdem Dei amore, diuini que honoris & gloria zelo in medio fornacis Babiloniae mundi huius igne ambulant: quia ubi alij comburuntur & penitus consumuntur, hi Deum suum laudant,

CAPVT VII.

Aliquot suggeruntur remedia inuanda pusillanimitati non nullorum, qui quod suis ipsorum perditionem & damnationem timeant, proximos iuuare refugiunt.

VT pusillanimitatis tentationem, quam timidus aliquot & scrupulosus demon vexare solet, persuadentes sibi suam se animam praesens in discrimen vocare, dum aliorum curare proponunt, radicitus e cordibus nostris euellamus; ante omnia veritatem quandam, in primis necessariam, maximique momenti, quaeque ad hoc ipsum in primis nos adiuuabit, nouerimus, nobisque persuadeamus oportet: nimirum quo loco nos Deus collocabit, eo securiores ac tutiores nos fore, quam quo nos ipsi fore putabamus. Dum enim, Superiore iniungente, in publicum & forum prodimus, dum foeda & spurca poenitentium in confessionibus scelera audimus, tutiores ac securiores erimus, quam si ex proprio nutu & decreto, in cubiculum nos abeuntes, hisce nos ministeris, prolabendi periculum veriti, subduceremus. Quia forsitan in cubiculo a prauis & obscenis cogitationibus impugnaberis, & in aedifices; & in ministeris illis fieri potest ut securior sis & quietior: quia enim te in illis Deus constituit, hinc ipse etiam te custo-

Veritas maxima. Tutior es in periculo cum Deo, quam tecum extra illud.

Deus quo te loco statuit, hoc et protegit.

laudant, benedicunt, magnasque ei gratias agunt, quod ipsos ad Religionem vocavit: & vnde alij suis perditionem & condemnationem animabus arcessunt, inde hi evidentiorem vanitatis mundanae cognitionem æque ac detestationem, maioremque boni quod in Religiosa vita habent, æstimationem hauriunt.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. his inquam, qui ex amore Dei, & Superiorum voluntati parendi desiderio, his ministeriis vacant, omnia in bonum convertuntur, itaque sugunt mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Vbi namque adest animus fidelis, Deoque placendi avidus, ubi homo non intruditur, neque se ingerit, sed legitime ad hæc ministeria vocatur, & debite eis applicatur, nulla ibi est animo cadendi, sed magna potius fiducia in Deum collocandæ occasio, sperandique, quod, quandoquidem his ipsemet nos applicarit, gratiam quoque dabit eadem satisfactione & periculo obeundi.

Vt autem huic veritati magis credamus, ac proinde ad munia nostra obeunda maiorem fiducia & animos concipiamus, quoddam hic medium, atque ipsum efficacissimum, quod in Societate ad hunc finem habemus, omisso in præsentiarum aliis plurimis, producamus particularem inquam Religionis nostræ gratiam. Est hoc primum quoddam ac maximæ consolationis punctum, cum quoad subiectum quod tractamus, tum quoad alia plurima deseruiens.

Vnaquæque Religio particularem quandam à Deo gratiam & auxilium ad eum perfectionis gradum, ad quem eius sectatores vocati sunt, assequendum accepit. Neque enim ad statum aliquem, aut finem hominem Deus vocat, quin simul convenientia media, vires & gratiam, quæ ad finem illum & perfectionem, ad quam eum vocat, obtinendam necessaria sunt, simul ei concedat.

Hanc D. Thomas conclusionem egregie tum e sacra Scriptura, tum e naturali ratione comprobare: quia *Dei perfecta sunt opera.* Quocirca, si quam Deus ad certum

aliquem finem, Religionem instituit, quoque media & auxilia ad eum finem obtinendum necessaria, dare debet; imperfectum alioquin Dei opus foret. Sicut ad oculum in omnibus rebus naturalibus diuinam eius maiestatem facere videmus, ut, quando potentiam ad aliquid concedit, simul etiam convenientia conferat media, ut illa potentia ad actum suum cogiteat; nam, iuxta Philosophorum axioma, *Frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum.* Eodem proflus modo sic in rebus supernaturalibus, & iis quæ sunt gratiæ, neque enim minus eæ esse perfectæ debent, imo potius perfectiores, quam naturales. Vnde cum aliquam Deus Opt. Max. Religionem ad finem quempiam instituit, omnia quoque media & auxilia necessaria, ut qui eiusdem Religionis sunt, eum consequantur, ei elargitur. Atque hoc vocamus gratiam Religionis.

Ac sicuti singulæ Religionis ab inuicem diuersæ sunt, suumque vnaquæque procedendi modum, & particularem finem & institutum sanctum habet: ita etiam singulis particularem Deum gratiam & auxilium ad finem illum, ad quem eas instituit & ordinavit, obtinendum contulit. Adco ut Religionis omnes in hoc conveniant, quod gratiam Religionis vnaquæque habeat, particulare inquam quoddam Domini auxilium & opem, ad perfectionis statum, ad quem instituta sunt, consequendum opportunam. Hæc porro gratia ea harum vnicuique particularitate distribuitur, quam finis quem habet, necnon media, quæ ad eum consequendum ei concessa sunt, exigunt. Ita Monachis Carthusiensibus particularem Deus gratiam dat, ad clausuram, solitudinem & abstinentiam suam seruandam. Hieronymianis vero, ad attentam in choro diuinorum officiorum recitationem: atque ita de cæteris Religionis Ordinibus.

Cum ergo Societas Iesu particularis quædam sit Religio, auctoritate Sedis Apostolicæ in Ecclesia Dei ad animarum iuuamem & curationem potissimum instituta: hinc Deus nobis, ad finem hunc

Cui dat Deus potentiam, dat mediū ut illa in actū exeat.

Gratia Religionis.

Omnes Religiones habent gratiā sed quæque diuersam iuxta suū finem.

Rodriguez exercit. pars 3.

D

confe-

*Societatis
media.*

consequendum, particularia & propria quædam media suggestit; quorum etiam in confirmationis eius Diplomate ipse summus Pontifex meminit: qualia sunt verbum Dei prædicare, confessiones audire, docere, Christianæ fidei capita rudibus per catechesin tradere, spiritualia exercitia præscribere, dissidentes inuicem conciliare, carceres & nosodochia adire, aliaque id genus. Adeo ut, sicuti Societas Religio est ad hunc finem, animarum inquam cõuersionem à Deo vocata; ita etiam ad hæc ipsa ministeria & munia vocata sit, ut illorum adminiculo finem hunc assequatur. Est hoc inprimis notandum, quia maximæ consolationis est.

*Finis & me-
dia nobis
propria.*

Neque solum finis, verum etiam quæ in proximorum curationem impendimus media & ministeria, in Instituto nostro propria sunt, nobisque conuenientia, idque per Regulam, à Vicario Iesu Christi approbatam & confirmatam, quemadmodum è Bulla, qua Institutum nostrum approbavit Pontifex Iulius Tertius, liquido patet. Adeo ut Societatem Iesu professi, ex vi regulæ suæ, sint & confessorii & professorum scholares; nec tantum ministeria spiritualia, verum etiam opera misericordiæ corporalia, quæ proximo Societas impendit; qualia sunt carceres visitare & nosocomia, ex regulæ & Instituti præscripto, exercere teneatur, uti ex eadè Bulla patet.

Vt ergo ad rem ipsam iam veniamus, hinc sequitur Societate particulare quoddam à Deo auxilium & gratiam, ad finem hunc, animarum inquam cõuersionem, ad quem potissime eam instituit, assequendum accepisse: & quidem per media vocationi & Instituto nostro propria, quæ ad hoc ipse nobis dedit. Atque hæc est particularis Religionis huius nostræ gratia. Adeo ut particulari quadam ratione nobiscum Deus concursurus, & particulare quoddam robur & efficaciam hisce mediis sit; quia hæc est gratia particularis huius Religionis Societatis Iesu.

Ita autem se id habere, singulis diebus (quæ Dei bonitas & misericordia est)

re ipsa experimur. Quid enim in causa esse putas, quod cum quis è Societate concionator in Missionem aliquam, & quidem interdum ætate iuuenis, & non nisi nuperime studiorum cursu confecto, destitatur; talem is in tota aliqua gente animorum morum concitet, ut vniuersè ad peccatorum homologesin faciendam magno feruore & tam frequentes accurrant, ut iam sacrosancta Paschalis solennitas instare videatur? tales is ibidem inimicos conciliet, quos ante alij permulti, nequidquam tentatis omnibus, pacificare non potuerunt: idem quoque publica flagitia & scandala de populo tollat, quæ ante nec brachium sæculare, nec auctoritas Prelatorum impedire valuit. An tuæ id virtuti & doctrinæ, ac talento & gratiæ concionandi putas acceptum referendum? Nequaquam: quia non est hoc aliud, quam particularis Religionis gratia; quod enim id eius sit Institutum, & illa media ad hoc ipsum proportionata, hinc particulari quodam modo ad illa Deus concurret, & singularem quandam energiam & efficaciam iisdem indit, ut suum finem consequantur.

Contrarium vero (quod euidentis rei huius est probatio) videmus in nonnullis qui Societatem deseruere; Etenim hi cum in ea agerent, alas habere & volare videbantur, gratis auribus & animis ab omnibus audiebantur, & insignem in populo fructum faciebant; rari vero se etiam in sæculo volare, & eundem facere fructum posse, frustrari sua spe fuerunt; nam quod hæc alæ essent gratia Religionis, hinc, cum eandem reliquere, etiam alas exuerunt, pleneque se implumes in sæculo esse compererunt.

Illustre quo ad hoc propositum, exemplum nobis suggerit liber primus Machabæorum. Cum enim quidam è populo Israel viderent, Machabæos generosa multa in bello facinora edere, & sæpius licet cum Gentibus collata manu, semper superiores euadere, & vix aliquot suorum amissis, luculentas victorias reportare, ac propterea nomen eorum toto orbe celebrari; hanc

*Gratia ye-
culari So-
cietatis Ie-
su inuisi-
bilisstem
operatur*

*Nonnulli
Dumise,
nonnulli*

*Gratia Dei
sum id,
quod iam*

*Apollus
deseruit
a gratia*

*Operari-
tis non
parant,
cantant
in Deo*

illis gloriam inuidentes, & parem sibi cupientes, in super ambitione acti, dixerunt ad inuicem, *Faciamus & ipsi nobis nomen inclytum, vt celebremur in Gentibus.* Quo dicto, colligunt copias, & aduersus hostes Israel expeditionem mouent. At non pro eo ac putarant, res ipsi successit; sed cum confusione ad propria reuerti coacti sunt. Hostes quippe eos adorti, turbatis ordinibus, & bis mille caesis, reliquos in fugam compulerunt. Cuius rei rationem Scriptura etiam statim subnectit. Ideo, inquit, hi caesi & fugati sunt, & vincere sperantes, e contra victi sunt, quia *non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel.*

Nullam ergo superbiendi, aut quidquam nobis ipsis attribuendi occasionem habemus, sed omnia haec tum Deo, tum Religioni ipsi attribuenda sunt. Dominus quippe *idoneos nos fecit ministros noui testamenti*, non littera, non talentis quae accepimus, sed *spiritu*, quem ipse nobis communicat. Quod enim hoc nostrum sit institutum, tuque Religionis huius membrum, tecum Deus hic concurrat, tibi que particularem dat gratiam & auxilium, ad magnum in proximis fructu faciendum, vtq; illis subueniendo, non solum tibi ipsi non noceas, verum etiam hac via magis in virtutis studio & perfectione crescas, & progressum maiorem facias. Atque haec est particularis Religionis huius gratia, & particularis eiusdem effectus. Haec qui considerat, nullam profus animo cadendi, aut pusillanimitatis occasionem habet.

Solenter quoque aduertit S. Bernardus, quod, cum sponsus sponsam a somno contemplationis ad actionem surgere iubeat, non dixerit, *Vade, sed, Veni, surge, prope a amica mea, columba mea, formosa mea, & ueni.* Quod non parum nos animat & corroborat. Per hoc namque significat, quod non temere nos sinat ire prout volumus, sed nos ipse pro libitu conuocat, & per hoc medium ad se trahat. Ad haec ergo ministeria nos mittit, non vt nos a se separet, sed sibi magis coniungat. ad ipsum imus, ipse nos conuocat, nobiscum

incedit, ipse noster est comes. Vnde timendum non est, ne propterea simus aliquam iacturam in spiritu facturi; sed magna e contra concipienda spes & fiducia, maius inde lucrum & prouentum meliorem securum.

Regis cuiusdam filius seruos suos ad audax aliquod facinus aggrediendum excitaturus, dixit eis, *Nolite timere: ego enim sum qui praecipio vobis, roboramini. Estote viri fortes.* Si ergo tu Domine mihi praecipias, vt hisce me ministeriis & obsequiis impendam, vtque seruo proximos curam, quomodo timere poteris? Securior & tutior sane in medio muliercularum lasciuarum ero, earum confessiones excipiens, & eis praedicans, dummodo tu me hisce officiis applices, quam si meo ex arbitrio ac libitu, intra domesticos parietes conclusus existam: tu namque Domine, id mihi iniungis, tu eis vt vacem, imperas. *Si ambulauero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Hinc etiam facile apparebit, quam grauius in Religione creant nonnulli, qui, proprium secuti arbitrium ac velle, dicunt, si tali in loco essem, si tali officio aut ministerio applicarer, quietus fore, & Deo maius in eo obsequium praestiturus mihi videor; hac vero in domo, hoc in ministerio plane inquietus sum, & nullam consolationem inuenio; atque adeo videor, si diutius in eo maneam, nullum omnino profectum facturus. O intolerabilem errorem & illusionem! Quomodo ibi bene tibi putas fore, vbi tute te cupis ingerere? ibi vero male, vbi te Deus constituere vult? Vtinam vero, quae hinc secuta sunt mala, non re ipsa iam saepe essemus experti. Nouimus siquidem quosdam, quibus, cum non contenti essent iis officiis & habitationis locis, in quibus Deus & Superioris voluntas ipsos constituerat, temereque alia ambirent, Superiorum voluntas & iudicium sui ipsorum iudicio vt condescenderet procurando, stolidè sibi persuadentes, maius ibi se Deo obsequium, & in proximo fructum facturos; tam male haec quam desiderabant & ambiebant, mu-

Non damnum sed lucrum inde referemus.

2. Reg. 13. 28.

Obedientia vobis securus.

Psal. 22. 42

Quies in eo quod Deus mandat. non quod tute elegeris reperiesur.

Electionis propria periculum.

tatio cessit, vt ad oculum viderint & confessi sint, merito se ob eandem à Deo castigari. Cauere sane & timere debemus, ne pro lubitu atque ex arbitrio nostro, habitationis locum, aut aliquem denique gradum nobis desideremus: sed in omnibus simpliciter nos Deo, per m dium obedientia, dirigi & conducti sinamus: vbi cunq; enim locorum nos ipse constituet, in eo & melius viuemus, & tutiores ac securiores erimus.

Obedientia fructus.

CAPVT VIII.

De primo medio ad fructum inter proximos faciendum: bona inquam & sancta vita.

Iam generalia aliquot media, ad proximum iuuandum conducentia, de quibus in septima Constitutionum parte B. P. N. loquitur, prosequemur, omisis aliis particularibus, quæque Sacerdotibus propria sunt: de quibus in quarta eorum parte agit. Et quamquam quæ in præsens dicturi sumus, ad proximi promotionem vtilitatemque potissime referantur, talia ea nihilominus erunt, vt simul etiam ad nostrum proprium bonum & perfectionem spectent. Nam, vt in initio dicebamus, tam duo hæc in Societate inuicem coniuncta sunt & fororiant, vt, quod proximo iuuando conueniens medium est, simul etiam nobis perficiendis sit opportunum, &, quod ad nostram est vtilitatem inuentum, non minus in proximi commodum cedat. Quamobrem quod hic dicturi sumus, erit huiusmodi, vt in genere omnibus valde prodesse queat.

Primum autem quod eo loco proximis iuuandis perficiendisque medium B. P. N. assignat, est bonæ vitæ exemplum *Et primo quidem confert bonum exemplum totius honestatis ac virtutis Christianæ, vt non minus bonis operibus, magis, quam*

7 p. Confir. cap. 4. 4 p. Confir. cap. 8.

Zelus animarum & perfectio propria se inuicem inuant.

verbis, eis adificationi esse, quibuscumque agitur, curens Bona enim & sancta vita, quodque homo primo sibi ipsi profecerit, & rem propriam promouerit, primarium & efficacissimum est ad multum inter proximos fructum agendum, medium. Quemadmodum quæ arbores magis sibi excreuerint, plus hæc Dominis suis fructum ferunt; pari modo prædicator & confessarius, qui magis sibi ante profecerit, magis etiam alius, quos tractabit, proderit.

Bona vita adificat proxima. Simile.

Medij huius momentum & necessitas inde primo colligitur, quod certissimum sit, bonæ vitæ exemplum longe ad hominibus persuadendum efficacius ac potentius, quam quæcunq; haberi queant verba aut conciones. Vnde etiã Iesus Christus, Redemptor orbis, viam ad cælum docere primo cæpit operibus, ac deinde verbis. At quippe Lucas, *Capit Iesus facere & docere.* Primo triginta voluit annis laborare & facere, vt triennio doceret.

Exemplum efficacius verba.

Christi exemplum.

Hanc etiam ob causam Ioannem Baptistam in desertum concessisse ait D. Hieronymus, *vt Christum predicaret Ego vox clamantis in deserto.* Quarit hic sanctus Doctor, quomodo Ioannes desertum elegerit ad prædicandum; cum illud magis, ne quis ab vilo mortalium videatur vel audiat, quam ad prædicandum conuenire videatur. Ac responder: Idcirco huic officio Christi prædicatorem & præconem desertum locum delegisse, vt homines, nouum vitæ genus in prædicatore hoc videntes, eum inciperent admirari, & ad agendam penitentiam, vitia deserenda, prædicatoris que ipsius imitandi studium excitarentur. Sciebat utique Ioannes exemplum esse medium ad auditores commouendos, fructusque in ipsis edendos, longe quam verba & voces, potentius & efficacius. Vnde etiam de eo in Euangelio legimus. *Erat lucerna ardens & lucens* quia ardens sibi in amore Dei, simul etiam ingentem ad proximum, vitæ suæ adeo admirabilis exemplo, lucem ac splendorem emittebat.

Ioannes in deserto efficacius conuincatur.

Ioan. 8. Lucerna ardens sibi lucens proximo.

Tritum ac cuius notissimū est illud Seneca dictū: *Longius est per præcepta bene*

Lib. 1. Epist. 16.